

Ex agnitione illa (“agnosce!”) omnia iura emanauere libertatesque - quas appellant conscientiae opinionis religionis etc. - quae Europam effecerunt singulare quoddam exemplar humani generis cultusque memoriae.

“Humanitas” de qua loquimur pro certo habet “hominis dignitatem” idem ualere ac libertas uariis suis formis occurrens atque figuris; immo uero hominem ipsum - quod quidem mirabilius est! -, utpote ratione praeditum atque oratione, “imaginem Dei” quodammodo esse.

Ob talem ac tantam dignitatem homo uitam suam bene gerere potest atque rem publicam; praeterea idem contra “Fortunae” uires, sua ui ac uoluntate, “Virtutem” obicere numquam non ualet actuosam ac sollertem. Qua sublata, omnino uariae ortae non essent artes, neque litterae nec scientiae nec philosophia nec ratio rei publicae administrandae neque tribunalia iuraque.

Quam ob rem, his temporibus iniquis, aequo honestoque utile persaepe praeponentibus, quam maxime necessariumst recogitare funditusque denuo constituere “humanitatem” illam, quae nostrae Europae uerum habetur atque ingenuum fundamen idemque firmissimum ac solidissimum.

At res, quae nunc sunt, omnino alio tendere uidentur. “Saeculum est” - dixerit quispiam - “ac saeculo parendumst”...! Nos uero, uno ore cum Augustino, respondemus: “Nos sumus tempora: quales sumus, talia sunt tempora”!

RENATVS VGLIONE

Praeses Collegii Europaei Studiorum HVmanitatis (CESU)
Desiderii Erasmi Roterodami nomini dicati

Augustae Taurinorum, Feriis Augusti, A.D. MMXVIII